

L. CHRISTIANI FRIDERICI  
GARMANNI,

Martisburgensis, Physici Chemnicensis Ordini-  
narii Academici Curiosus,

HOMO EX OVO.

Sive

DE OVO HUMANO  
DISSERTATIO.



CHEMNITII,

*Sumptibus Authoris.*

Typis Johannis Gabrielis Gütneri.

---

ANNO MDCC LXXXII.

05  
VIRO  
Generoso Excellentissimoq̄ve  
DNO. ABRAHAMO à Schönberg /  
RERUM METALLICARUM ELECTORALI  
VICE-PRÆSIDI,  
ECCLESIARUM DIOECESIOS CHEMNICENSIS ET LEISNICENSIS  
NUPER  
VISITATORI PRIMARIO,  
SVO ET LITTERARUM  
MOECENATI GRATIOSO.

Ut

VIRIS

Nobilissimis, Præcellentibus, Amplissimis,  
Consultissimis,

DNO. JOHANN-GEORGIO Nachhalsen / Electorali  
ad Sudetes Præfecto primario, Præfecturarum Schwarz-  
zenberg & Crottendorff Præfecto.

DNO. WOLFGANG - HENRICO SIGELIO, Præ-  
fecturæ Chemnicensis Electorali Præfecto.

DNO. JOHANN-ZACHARIÆ } NÆVIIS, J. U. Li-  
DNO. JOHANN-CAROLO } centiatis & Practicis Clarissimis.

Dnis Fautoribus, resp. Affinibus, & Ami-  
cis suis colendis

S, D, P.

Inter



**I**Nter res abjectas ovum recenset & habet vulgus, inde rem vilem ovi pretio venire in proverbium abiit. Immeritò equidem. Non hic locum illud : Vox populi, vox Dei. Re-ctius mihi calculum posuisse videntur Sapientiores, qui in ovo Naturæ opera semper admirati sunt, & adhuc admirantur. Nihil in eo vulgare, sive materiam ex qua generatur, sive ordinem secundum quem elaboratur, sive demum id, quod ex eo produ-citur spectemus pensitemusque. Ex vegetabilibus, ex animalibus ova, ex ovis vicissim animalia, ex ovis vegetabilia. Qvicquid Solum, qvicquid Salum vovet, ovum generat, ex ovo generatur, qvicquid Salum, qvicquid Solum fovet. Stupendus hic est Naturæ circulus, quando motu non interrupto, modo autem vix expli-cabili ita ejusdem labor

*redit actus in orbem.*

Jocatur in ovo Natura, quando varios lusus, aliquando etiam monstra luci donat, dum animalia & plantas excludit. seria agere videtur. Ovum proinde nil aliud, quam Naturæ Gazophylacium, è quo suos depromit thesauros; Laboratorium, in quo se quotidiè exercet; Domicilium demum, in quo, ut in dolio suo Diogenes, latet & apricatur. Movit id viros curiosos, ut omne ferè ætatis tempus, ( ut olim Aristomachus Apum ) curiosæ ovorū inspectioni darent, inter quos elapso seculo Hieronymus Fabricius ab Aquapendente; nostro autem Guilielmus Harveyus eminent. Movit id Erycium Puteanum, ut eleganti Panegyrico ovi panderet Encomium. Quod si ovo propriè dicto etiam hominem, omnium rerum mensuram, natales suos debere exactè vidissent, prout nobis innotuit, quò in locum Tyndarei è Cœlo in sinum Helenæ delapsi humanum succederet, Jovi supplicassent. Detexit non ita pridem primus ova hæc in testiculis foeminarum delitescencia Chymicus & Professor celeberrimus Dn. D. Kerckringius Medicus Amstelodamensis, cujus vestigia in præsentis Dissertatione seqvor, rei que veritatem ex Antiquioribus & Neotericis dilucidare, brevibus intendo. An acu rem ubique tetigerim

omnium optimè Excell. Vestra, Vestraeque Amplitudines judicare poterunt. Naturæ genium, Naturæ gremium, Naturæ meditullium ( ut hoc saltem hac vice libem ) penetrare dudum Generosa V. Excellentia allaboravit. Premit hac in parte laudabiliter Nobilissimorum Majorum vestigia, quibus Naturæ sacra, imprimis circa metallorum & mineralium generationem, rimari nunquam non solenne fuit, & quasi congenitum. Hinc ab Anno 1558. Nobiliss. SCHOENBERGIOS tanquam naturalium rerum, Indagatores sagacissimos, verosque Physicos subterraneos, Freibergæ semper rebus metallicis præfuisse Annales loquuntur. Quid in Pyrotechnia hæcenus præstiteris, VIR GENEROSE, superadderem, nisi ultrò suam infantiam fateri cogeretur infelix crena. Vestrarum verò Dign. & Ampl. in Naturam & Naturæ scrutatores affectum quis est, qui nescit? Præconem hujus agerem publicum, nisi quietem stylo imperaret Vestra modestia. Naturam, si per otium licet, ipsi excutitis, quid ad exactiorem Juris scientiam conferat rerum naturalium cognitio, Vos non latet. Vestro igitur subacto judicio hæc pagellas submittere debui, iuxtimque Vestrum exorare patrocinium. Suscipite igitur Ovum nostrum, ovum, inquam, humanum, devoti cultus Specimen, Vestraque Gratia & Humanitate illud fovete. Interea, quò vivatis *Nati felicibus ovis*, DEUS VOS SERVET! Chemnitii è Musæo Calend. Januar. Anni M. DC. LXXII. qui ut Vobis ex voto fluat quàm felicissimè DEUM veneror.

V. Generos. Excell.

*ut &*

V. Ampl. & Dign.

*Cultor perpetuus*

L. Christian-Fridericus Garmann.

DE O-

DE OVO HUMANO  
DISSERTATIO.

§. 1.

**U**T olim convivia sua ab ovo ordiebantur Romani: (*Horat. l. 1. Sermon. Alex. ab Alex. l. 3. Genial. Dier. c. 11. f. 138. Lipsius l. 3. Antiq. lect. c. 1.*) ita ab ovo mundi primordia ducere antiquioribus placuit Philosophis. *Πρωτόγονον* idcirco ὄον, ovum primigenium, primam Universi hujus dixerunt materiam. Ὀρφεὶδὸν ὄον alii, an quod Orpheus primus ejus propalarit historiam? non ita facilè est decernere, dicant & ventilent illud Orphicorum mysteriorum Epoptæ. De Orphei decreto ista *Plutarchus. (citat locum Edmund. Dickinsonus in Delph. Phœnicizant. c. 5. p. 45.)* Orphica & sacra oratio non modò Gallina antiquius facit Ovum, sed & ei omnium in universum rerum principium ac ortum tribuit.

§. 2.

Sacri Dictatoris, talis namq; putabatur, Oraculum tota ferè sequebatur Ægyptus, inde mundi Opificem DEum (*Kneph. vocabant*) declaraturi, eundem ovum evomere pinxerunt ejus incolæ (*Vossius l. 2. Idolol. c. 5. p. m. 3. Joh. Henric. Ursin Theol. ymbol. c. 19. p. m. 30.*)

§. 3.

De ovi istius productione ex *Athenagora in legat. pro Christian.*) hunc in modum *Attica Puteani Svada Orat. 20. p. 394.*) disseruit. Rerum omnium principium exiit Aqua, & ex ea subsidente fuit Itys. His parentibus Draco natus, qui capite Leonem, medio corpore faciem, sive Herculis, sive Chroni, repræsentabat. Ab Hercule deinde immensæ magnitudinis ovum prodiit, id à parente dum fovetur attritum in duas partes dissiliit, & superior quidem Cæli; inferior, quæ delapsa erat, Terræ forma donata & perfecta. Idem igitur, prout *Proclus in Timæum* explicat, erit ἡ πλατὺν ὄον καὶ τὸ

ᾠοϕινὸν ὠὸν Platonis Ens & Orphicum ovum (*Hadrian. Jun. l. 3. Animadv. c. 4 p. 117.*)

## §. 4.

Et hoc secum reputasse Romanos, quando ab ovo, ut diximus, inchoabant convivias, credit *J. H. Ursinus* (*part. 1. Anal. Sacr. l. 5. c. 4. p. 245.*) ipsam nempe Naturam convivis suis in ovo sistere voluerunt, Naturæque primordia. Nec abs re ut *Plutarchus*, (*l. 2. quest. Synops. 2.*) *Macrobius* (*l. 7. Saturn. c. 16. p. m. 549.*) in Bacchi Orgiis ovum sacratum est, veluti simulacrum mundi, è quo cuncta nata sunt, cujusque complexu cuncta continentur.

## §. 5.

Favet huic Paradoxo, quando (ut sua principia Chymici Sal, Sulphur & Mercurium *vid. Grüling. Florileg. Chym. part. 1. c. 1. p. 3.*) elementa quatuor aperte in ovo sese manifestare prodiderunt veteres Medici (*Rhodigin. l. 27. lect. antiq. c. 17. col. 1509.*) Nam, secundum illos, crustæ modo circumjectum obductumque; arescentis in frigore vim naturæ præfert. Humor autem frigus humectusque; aquam exhibet planè. Sicuti aërem quod inest spirituosum calens humensque. At in meditullio luteum fixum mediocritatem caloris obtinens & aridioris naturæ, igni compar facile colligitur.

*Quis varias aded naturas clausit in ovis,  
Exiguus pingens rerum Elementa typis?  
Aëra quod tenue est, quod flavum denotat ignem,  
Album undam, & terras testula dura refert.*

(*Ursin. c. l. c. 4. p. 244.*)

## §. 6.

Mundus igitur illis ovum, ejusque figura ovalis. De priori *Varro* (*in Ligaristico*) Coelum est testa, vitellum terra, inter duo illa humor quasi in sinum conclusus aëris, in quo calor. Mundi cum ovo comparisonem habet *Ursinus* (*c. l.*) ex antiquioribus *Achilles Tattius* (*in Arat. c. 4. cit Barthio Animadv. in 8. Theb. Papin. Stat. p. 859.*) De posteriori *Laërt.* (*l. 7.*) & *Plutarch.* (*l. 2. d. Placit. Phil. c. 2.*)

## §. 7.

Placito huic ortum dedisse ex ipsis Sacris literis haustum dogma

dogma, *laudato Ursino (c.l. c.3. p.242.)* placuit. Quando etenim Spiritus Dei ( Spiritus Sanctus, non Spiritus mundi universalis aut astralis, quod quidem in tausto conatu ex ipsis fontibus deducere conatur *Dn. Job. Ludovicus Hannemannus tr. Rauch universalis mundo restitutus §.10.p.23 & seq.* Quem locum egregiè illustrat & vindicat *Vir celeberrimus Job. Cunrad. Dietericus Antiq. Bibl. in Genes p.71.* ) incubasse dicitur superficiei aquarum ( *Gen. 1, v. 2.* ) Metaphoram ab avibus ova incubatu fotuq̄ve animantibus in voce Merachephet latitare Theologi Interpretes docent prout *Ursinus & Dietericus (c.l.)* id pluribus deducunt. Addatur si placet *Ludovicus de Beaufort. (l. 4. Cosmop. Divin p. 18.)* Paganis autem Divina Oracula commentis fabulosis conspurcare nullo non tempore fuit solenne.

## §. 8.

Ex ovo animal incubatu avis excluditur, quid ergò mirum, si animal mundum dixerint ex antiquioribus Philosophis? Ita ex ratione probabili mundum animal intelligens revera divina providentia constitutum definit *Plato Philosophorum Deus, ( in Timæo. p. m. 527. )* Quod animal sit mundus & rationale & animatum & intelligens asseruerunt & *Chrysippus & Apollodorus & Possidonius (Laërt. in Zenone)* & omnes Stoici. Aliter tamen Platonici, aliter Stoici se explicant. Illi animam mundi à Deo procreatam astruunt; hi verò ipsum Deum mundum aut animam mundi esse dicunt. Mundus rationalis Stoicis vocatur Deus, *inquit Lipsius (l. 2. Physiolog. Stoic. Diss. 10.)* Stellæ sicut oculi lucentes in facie universi orbem suum peragunt. Sol vi præditus Cordis. Ut hoc enim sanguinem & Spiritum; sic diffundit ille ex se vegetantem calorem & lucem. Terra & mari mundus, ut animal ventre & vesica, utitur. Luna inter Solem & Terram, ut inter Cor & ventrem, velut jecur aut aliud molle viscus est, & respirationes illinc excoctione aliqua & purgatione attenuans diffundit. In eandem ferè sententiam *Poëta ap. Ludov. de Beaufort (in præf. Cosmop)*

*Cœlestis mundus caput est, mare, venter, opacum,  
Terra pedes, Uterusq; ; vagantur in aëre summo  
Aures; lux oculi Solis splendentis imago.*

Nostro Seculo *Job. Keplerus Mathematicus Casareus* (referente *Fromondol. s. Meteorol. art. 8. p. 303.*) mundum inferiorem ingens animal vocabat, quod immanibus pulmonum foribus marinas aquas per intervalla visceribus inspiret, respiretque.

## §. 9.

Ita de Macrocosmi principiis Ægyptii philosophantur, aut potius fabulantur. A Macrocosmo ad microcosmum descendimus ab ovo mundano ad humanum, aut si mavis à fabulis ad ipsa veritatis proficiscimur Oracula.

## §. 10.

Ergone etiam ex ovo prima ortus humani deduces cunabula, inquires? Ita est. Homo ex ovo. Debemus hanc thesin *Professori nobilissimo juxta ac felicissimo Dn. D. Theodoro Kerckringio Medico Amstelodamensi celeberrimo*. Hic Spicilegio observationum rariorum Anatomicarum non solum Osteogeniam foetuum, in qua quid officulo singulis accedit mensibus, quidve decedit, & in eo per varia immutatur tempora, accuratissime oculis subjicitur, subjunxit, sed & Anthropogeniæ Ichnographiam sive conformationem foetus ab ovo usque ad ossificationis principia in supplementum Osteogeniæ foetuum superaddidit.

## §. 11.

Miramur non immeritò viri laudati felicitatem solertiam, & nunquam satis in studio anatomico laudandam industriam depreciamus publicè. De Cœlo delapsam ovum *Tyndareum* aut *Ledaum* Poëtæ celebrent, nobis *Kerckringianum* probatur & celebratur. quod nova & nemini fore cognita ortus humani detexit principia. Cygnum aut potius Gallinam, ut vult *Puteanus* (c. l. p. 393.) cœli imaginibus olim inseruit vetustas. Nomen tanti viri sideribus inferamus, ut micet prout inter stellas Luna minores.

## fi. 12.

Dum autem ab ovo hominis ortum deducere conamur, ovum nobis quid sit & significet prius veniet daclarandum. Testiculos *Avicennam* ob similitudinem quandam ova nuncupare *Rhodigi-*



*diginus* (l. 4. antiq. lect. c. 7. col. 185,) Hanc verò nomenclationem non attendimus, quamvis & hoc modo ex ovo hominem esse dici possit, cum extra omne dubium ponant Physici & Anatomici ab & in testiculis feminis productionem consummari. Dein illa distinctio ovorum quæ in ὄσρανόδερμα & μαλακόδερμα distinguuntur attendenda. Illa prout nomen suggerit putamine intacta testaceo; hæc molli obducta cute. (*Rodigin. l. 27. c. 17. col. 1509.*) Ridiculum est ovum natum fuisse ex muliere scribere non veretur *Natalis Comes* (l. 8. *Mytholog. c. 9. p. 853.*) Gravida tamen foemina in Norvegia anno 1639. d. 27. Maj. novem antea liberorum mater maximis cum cogeret ventris doloribus ad se vicinas convocavit consilii capiundi causa, sed eodem die circa vesperam eisdem presentibus ovum peperit gallinaceo prorsus simile, quod cum fregissent foeminae presentes vitello & albumine communi ovo prorsus respondere animadverterunt. Hinc 18. Aprilis circa meridiem, astantibus iisdem secundum peperit ovum, figura nihil prorsus à priore differens. Asservavit hoc in suo Musæo *Olaus Wormius* (l. 3. *Mus. c. 21. p. 311.*) historiam autem descripsit *Th. Bartholinus* (*Cent. 1. obs. 4. p. 11.*) ὄσρανόδερμα cum fuerint hæc ova illa sub considerationem nostram non venient, comprimis cum pro Magicis habeat ea *Wormius, Bartholinus* autem dubitet (*c. l. p. 14.*) utrum ex utero, an alvo prodierint, quod forsitan non ita exactè discernere potuit propter dolores puerpera, nec ipsæ astantes foeminae. Ex ovis ejusmodi aves, quædam ex insectis & vegetabilibus (*ut suo loco, Deo favente, dicemus.*) ne utiqvam verò homo. Optimè inde laudatus *Bartholinus* (*Cent. 3. Epist. 27. p. 207.*) Ex ovo homo non est, nam deficit ubiq; extra uterum materia conveniens foetui. ὠὸν μαλακόδερμον tanquam nobile depositum nostram servat posteritatem. Explodimus autem tanquam ova hypenemia, spuria, & requieta globulos illos molles in intestinis commorantes vermium ut plurimum domicilia. Ita, teste *Phil. Salmutho* (*Cent. 2. obs. 7. p. 63.*) Lipsiæ foemina præcipuè notæ post injectum Clysterem rejecit massam quandam instar ovi Gallinæ, sed crustæ admodum

mollis, quæ baculo aperta profiluit vermis bipes oculis micantibus linguam in ore vibrans. Geminum ferè annotavit *Hildanus* (*Cent. 1. obs. Chir. 57.*) quævis, si placet, adde nostram observationem (*Miscell. Curios. German. Ann. 1. obs. 104. p. 24.*) Ovum post imprægnationem duodecim hebdomadarum testa molliuscula peperit uxor Civis Hafniensis (*Th. Bartholin. Cent. 3. Epist. 27. p. 101. & Epist. 52. p. 214.*) Molis absque dubio illud erit accensendum. Ova de quibus commentamur in testiculis fœminarum reperiuntur. Sunt pisi viridis magnitudine, intra istam latitudinem, quæ pisorum determinat quantitatem variantia. Intus latet humor, qui sicut aliorum ovorum albumen & vitellus, dum coquitur, indurefcit: Sapore prædita sunt peregrino & ingrato. Ita primus eorum inventor *D. Kerckringius* (*Anthropog. Ichnograph. c. 1. p. 2.*) eadem describit, quem utpote Ducem ingenium meritò sequimur.

## §. 13.

An à vero divaricet, an veritatis sapiat puteum hoc ovorum humanorum descriptio si disquirere in animum induceremus, in magni Anatomici fidem & experientiam peccaremus. Nihil, fatetur (*c. l.*) hic affirmare decrevi, quod culter arte directus non detexerit.

## §. 14.

De hoc tamen venerandæ antiquitatis curiosus cultor non immeritò erit sollicitus, annon etiam veteribus, si non exacta, aliqualis saltem hujus asserti innotuerit notitia? *Gvilielmus Harveus* Anglus, alter *Columbus microcosmum pererrans*. Circulationem sanguinis nostro seculo primus propalavit. (*Everc. de mot. Sangv.* Sunt tamen qui *Aristoteli* & antiquioribus, etiam *Hippocrati*, eandem cognitam fuisse scribere non verentur, inter quos *Wulæus* (*Epist. ad Th. Barthol. de mot. Chyl. & Sangv.*) Ex placitis *Syennensis Medici Cyprii* & *Diogenis Apolloniatae ab Aristotele* (*l. 3. hist. anim. c. 2. p. m. 73.*) annotatis cum primis illis verbis: Sanguis crassior à carne ebibitur, sed dum ad loca devenerit tenuis redditur, & calidior & spumolus, idem alii colligunt. *Quidam*, *Realdo Columbo*, *Andree Cesalpino*, utpote qui Circulum Sanguinis è dextro

dextro Cordis ventriculo per pulmones in sinistrum describit, (l. 5. *qvæst. peripat. s. f. m. 126. b.* De Circulatione Harveana Secretum aperuit *Th. Bartholino* (*Cent. 1. Epist. 26. p. 115.*) *Veslingius* nulli revelandum, esse nempe inventum *P. Pauli* (*Paulum Servitam nuncupat Walens*) *Veneti*, à quo de ostiolis venarum sua habuit *Aqvapendens*, ut ex ipsius autographo vidit, quod Venetiis servat *P. Fulgentius*, illius discipulus & successor. Magnam laudem nostro seculo ob vasa lactea detecta consecutus *Casspar Asellius Anatomicus Ticinensis*, antiquos *Hippocratem, Erasistratum, Galenum, Arabes, & recentioribus Vesalium, Fallopi-um, Constantium Varolium, &c.* eorundem fecisse mentionem demonstrat *Illustris Rolfincrus* (l. 5. *Dissertat. Anat. c. 22. p. 905.*) *Elegantissimus Hig-morus* (l. 1. *Disq. Anat. part. 2. c. 6. p. 31.*) cum aliis. Ante *Hornium Pecquetum* & *Th. Bartholinum* *Receptaculum Chyli Bartholomæum Eustachium Sanseverinatem* (l. de vena sine pari antigr. 13. p. 301. anno 1564. *Venet. edit.*) delineasse notat. *Nobiliss. Elsholzius* (*Clysmat. nov. c. 1. p. 2.*) *Vasa Salivalia oculatissimi Warthoni à Galeno, Halyabbate, Abensina & Isaaco* manifestè descripta declarat *Th. Bartholin.* (*de Hep. def. p. m. 575.*) *Nostra* verò *lymphatica* subjungit citatus author (c. l. p. 578.) nemini adhuc in mentem venerunt, nec ulli ex tripode prædixerunt. Eadem interim ὀξεῖων nomine *Hippocratem* (l. 6. *Epid. s. 3. §. 4 & l. de Gland. c. 1. §. 6. & 7.*) indicasse *Segerus* hariolatur (ap. *Th. Barthol. Cent. 3. Epist. 67. p. 272*) quam conjecturam etiam agnoscit laudatus *Bartholinus* (*de Hep. def. p. m. 578.*) Se eadem anno 1638. *Jenæ* demonstrasse, *Schneiderus* (l. de Catharr. Sing. p. 523. scribit. Idem de *Jolivio Charleton* (*Exerc. 9. Oecon. animal. p. 107.*)

## §. 15.

Videt sanè B. L. pauca Antiquos latuisse, quod vellem antiquitatis osiores & rosiores attenderent. Sed ad propositum Problema. Haud obscura etiam hujus dogmatis apud veteres nostri afferti deprehenduntur vestigia. Ab umbra ad Auroram, à fabulis ad veritatem liceat nobis progredi, à Poëtis quos amamus, ad Medicos Philosophosque quos veneramus. Tanti fecit honestas fabulas nulli comparandus *Plato*, ut puerorum institutionem ab illis incipiendam esse (l. 2. de *Rep. p. m. 429.*) dictaret. Præter civilem pruden-

dentiam etiam naturalis scientiam pandunt aulæa. (*Vid. Natal. Com. l. 1. Mythol. c. 2. p. 4.*) Ita infusoriæ antiquitatem è fabula Medæ & Æsonis illustravit *Dn. D. Joach. Georg. Elsnerus, Collega noster honorandus.* (*Evolv. Miscell. Curios. Ann. 1. obs. 149. p. 330.*) Nos iisdem vestigiis insistentes fabulam (an lepida. nec ne, Lector judicet) narrabimus.

*Castora Pollucemq; mihi nunc pandite Muse  
Tyndaridas, Jovis è cœlesti semine natos,  
Taygeti peperit quondam hos sub vertice Leda.  
Clam conjuncta Jovi cœlestia regna tenenti.*

(*Homer. hymn. in Jov. ex vers. Nat. Comit. .*) Adulteriorum Autor Jupiter Ledam Tyndari Regis Laconiaë Conjugem cum arderet ad dolos amatorie conversus

*In niveum descendit versus olorem.*

(*Manil. l. 1. Astron.*)

*Blandosq; susurros  
In morem recinens suave immorientis oloris,  
Capta quibus volucrem virguncula ferret amorem,*

(*Prudent. l. 1. in Symm. p. m. 359.*)

*Fecit olorinus Ledam recubare sub alis.*

(*Ovid. l. 6. Metamorph.*) Clarius Helena (apud Euripidem ex versione *Natalis Comit. .*)

*Fama est enim*

*Quod Jupiter volavit ad matrem meam  
Leden, oloris alitis forma obsitus.*

*Fugaq; ficta, quod volucris nuncia  
Jovis sit insecuta, mox compressit hanc.*

Ex illo congressu Leda peperit ovum, è quò postea Pollux & Helena prodierunt: alii duo ova fingunt, è quorum uno Castor & Pollux, ex altero Helena & Clytemnestra. Respexit huc *Horatius* (*in Arte Poët.*)

*Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.*

Qui verò cum Dioscuris Helenam ex eodem ducunt ovo *τείδυμον* faciunt. (*Fulgent. l. 2. Mytholog. fab. de Cygno & Leda.*) Sic *Ansonius* (*Epigr. 59.*)

*Istos tergeminos nasci quos cernis ab ovo,  
 Patribus ambiguis, & matribus asserere gnatos;  
 Hos genuit Nemesis, sed Leda puerpera fovit,  
 Tyndareus pater his & Jupiter, hic putat-hic scit.*

ELeda & Nemefi autem nati dicuntur ideò, quia Leda mortua consecrata mutato nomine, id namq̄ve solenne erat, Nemefis vocabatur, quod è *Lactantio* (l. 1. de fals. relig. c. 2.) & aliis probat *Hadr. Junius* (l. 1. animadv. c. 15. p. 38.) Fabulam aliis circumstantiis narrat *Salmuth.* (ad *Panciroll* l. 2. tit. 2. p. 92. §. 16.

Ne recto & inoffenso pede progrediamur scrupulos objicit *mellita Puteani Svada* (c. l. p. 434.) Græci veteres, ut est apud *Athenæum*, (*Clearchum* in amatoris etiam allegat *Hadr. Junius* c. l. p. 40.) sic ædificare cœnacula soliti sunt, atq̄ve etiam nominare: quid nisi pulcherrimam aptissimamq̄; humanis usibus rati formam, quæ maxime naturam, id est, ovum sequeretur? Quare *ὄνεια* erant, quæ postea *ὄνεγῶα* dicta. Nec alio errore audax fabula fuit, Helenamq̄ve ex ovo progeneratam poetico prodigio divulgavit. *Ædopol* decepti non minus qui id traderent, quam qui crediderunt: imò verò decepti non fuere, nisi interesse dicas, & tantum non portento distingvi, ex ovo, an in ovo quis nascatur. Helena quia in ovo, id est, cœnaculo nata est, ex ovo prodiisse credita; & pro *Tyndaro* *Jovem* invenit patrem; Quid? *Cygnus* fieri adulter debuit, & in Deo turpissimum crimen excusari. *Hactenus Puteanus.* §. 17.

In eandem propendent sententiam *Junius* (c. l.) *Andr. Senstleben* (*Not. Philolog. in Phasel. Catull* p. 69.) cum *Puteano* an verò Poëtarum intentionem exhauriat hoc commentum dubitamus. In stabulo qui nascitur, ex stabulo natus minimè creditur. Appellationem cœnaculorum recipimus; applicationem ad partum *Ledæ* rejicimus. Ne mireris ex ovo prodiisse hos fœtus, *Cygnus* pater extitit, aut sub *Cygni* specie *Jupiter*, in *Anserem* verò transmutata *Leda*, *Salmuth.* (c. l.) Sapit hoc figmentum ingenium verè Poëticum Naturæ genio accommodatum. Ovum è quo *Castor* & *Pollux* ostendi apud *Lacedæmonios* suspensum tæniis à testudine templi *Pausanias* (in *Laconicis*) tradidit. Ejusmodi ova adhuc hodie in anti-

quis conspici nummis *Julius Capacius* (l.1. *Hist. Neapolit.* c.14.) commemorat,

## §.18.

*Neocles Crotoniata* scripto prodidit, ovum illud è Luna in sinum *Ledæ* fuisse delapsum. Nec sine ratione forsan, descendit namque de cœlo, ita fingunt *Jupiter*, Lunam verò hic suas etiam egisse partes ferunt, quia fœcundum proliferumque ad prodigium usque fuit. Dedit fabula fabulæ originem, quam etiam *Herodotus* | *Heraclotes* confirmat, in regionibus lunaribus fœminas, *Selenitides* dictas, ova parere, & iisdem incubare, ibidemque natos decies & quinquies antecellere nobis (Vid. *Rhodigin.* l.27. *antiq. lect.* c.17. col.1512. *Juvinus.* c.1.) Ergò ut Gigantes nascerentur, subdit *Puteanus* (c.1. p.395.) opus erat ovis; terræque filii, è Cœlo tamen descendebant. De pulchro (quid enim ovo venustius pulchriusque? forma dignitatem suam habet, non aspera, non horrida, non incisa est; sed levis, teres, & veluti pumice expolita. Inde apud *Niciam Epigrammatarium* (l.2. *Epigr.*) de Calvo: ὠὸν ἀπὸς γέγονεν, ovum totus evasit; & de magno olim dicebatur: ἐξ ὠῶ ἐξηλθεν, Ex ovo prodiit.

## §.19.

Ex ovis etiam Dii Syri. Certè apud *Arnobium*, inquit *Multiscius Conringius* (l.1. *de Hermet. med.* c.7. p.69.) ovorum progenies Dii Syri dicuntur. Venerem *Syriæ* ex ovo natam etiam *Nigidius* scribit apud *Scholiam Germanici* & *Lucius Ampelius* (libro ad *Macrinum*) Hujus verba sunt; Dicitur & in *Euphratis* fluvio ovum piscis columba adsedisse dies plurimos, & exclusisse Deam benignam & misericordem hominibus ad bonam vitam. Ex ejusmodi fabulosis ovis primò nonnulli *Oën* s. *Oannem* ( ab ovo nuncupatum, ita *Oonarum Insularum* mentionem fecit *Plinius* l.5. c.13. ) qui & *Anedotus* dicitur, artium apud *Babylonios* inventorem natum tradiderunt. Diti sanctissima apud *Bramianas* seu *Brachmanes* fœmina gravida facta duo ova luci dedit, è quibus *Annura* & *Garrouda* Dii apud *Brachmanes* minorum gentium exclusi (Vid. *Abbr Rosgers* offne *Thür zum verborgenen Heidenthum* part. 2. 4. p. 269.

## §.20. Nec

## §. 20.

Nec Solum Dii quidam, sed & animalia, primum si species ortum, ex ovo, Ægyptios si consulas. Hi namque docuerunt referente Diodoro Siculo (l. 1. hist. c. 7.) Quod terræ concreti fuerint multi humores, in quibus contactæ quædam putredines tenui pellicula, quæ virtute Solis ad summum productæ adveniente veluti partus tempore exutis confractisquæ pelliculis educunt omnis generis animantium formas. Imaginari hic licet, addit *Abrab. Milins* (de orig. anim. & migr. popul. p. m. 8.) ita scilicet Tauros & Oves, Tigres, Leones, Elephantes exclusos ex his pelliculis, uti Alaudæ, Passeres, Columbæ, Anates, & omne gallinaceum genus prodeunt ex ovis, per rupto pertusoquæ rostris suis putamine.

## §. 21.

A Poëtis & Vatibus ad Medicos Physicosquæ transimus. Ab Hippocrate, qui Æsculapii successor (*Plato in Protag.*) Deus medicorum tutelaris) *Zacut. l. 3. Hist. med. q. 9. p. 456.*) qui nihil ignorare potuit (*Th. Bartholin. Cent. 3. Epist. 68. p. 278.*) ideoquæ unus instar mille autorum nobis esse debet *Rod. à Castrol. 2. Med. Polit. c. 6. p. 74.*) ut sermonis initium faciamus. Ille principio libri de Natura pueri (quem, ut ut pleraquæ ejus opera quisquæ vilias adulteras pronunciet *Helmont. in promiss. Col. 1. n. 2 p. 7. utiq; cum celeberrimo Segero Diss. d. nutrit. fœt. hum. in utero s. 1. c. 1. p. 3.* pro genuino agnoscimus) cum genituram ab utroquæ parente profectam simul in utero permisceri, condensari & calore incrassescere demum spiritu à matre attracto refocillari docuisset subjungit (*3. Op. ex versione Anut. Voësi p. 15.*) Genitura cum sit loco calido, calida est, tuncquæ sanè Spiritum concipit & emit, & Spiritu distenta, membrana obducitur. Ei enim exteriore parte quiddam obtenditur, quod cum viscidum sit, undiquæ sibi cohæret, & non secus ac in pane tosto, tenue quippiam ad instar, membranæ in superficie extat, qui incalescens & in flatus attollitur. Quia verò parte inflatur, isthinc quod membranam refert exoritur. At verò ubi genitura tota incaluit, & flatu intumuit, ei exteriore parte membrana circumducitur, per quam ad mediam genituram intrò & foras spiritui transitus fit, eaquæ parte membra-

næ tenue quiddam à genitura recedit, quæ in his locis paucissima inest, ipsa verò reliqua in membrana continetur.

## §. 22.

Innuit sanè hoc ipso *admirandus Senex* in utero parentum genituras incrassescere, & membranis circumdari, ut ovum curiosis post aliquot à conceptione dies sistant indagatoribus. Et quamvis adhuc multum inter se distent *Hippocrates* & *Kerckringius*, historia tamen, quam subjungit *venerandus Dictator*, multum lucis Kerckringianis observationibus fœneratur, ut suo loco patebit.

## §. 23.

*Philosophorum Alpha Aristoteles* (l. 7. *hist animal. c. 7.*) Conceptum Ovum comparat, dum in fit: Cum semen genitale exit, spiritus antecedit, & quidem ipso exitu constat agi cum spiritu, nihil enim sine violentia spirituali projici potest. Tum insinuat in utero diuque contentum membrana obducitur, quippe quod antequam discernatur exeat, velut ovum sua membranula contextum, detracto putamine. Clarius (l. 3. *de gen. anim. c. 9.*) Quæ intra se pariunt animal, iis quodammodo post primum conceptum oviforme quiddam effigitur. Humor enim in membrana tenui continetur, perinde quasi ovi testam detraxeris.

## §. 24.

Placita hæc quasi per manus tradita accepere posteris, geniturasque & fœtus membranis suis vestitos tanquam ova, quamvis non expressis verbis, demonstrarunt posteris, usque ad *Harvei Excellentissimi Naturæ Consulti* tempora, qui audacter pronunciavit OMNIA EX OVO. Nos asserimus, (inquit *Exerc. c. 1. de gen. anim. p. m. 2.*) omnia omninò animalia etiam vivipara, atque hominem adeo ipsum ex ovo progigni; primosque eorum conceptus, è quibus fœtus fiunt, ova quædam esse; ut & semina plantarum omnium.

## §. 25.

Paradoxum hoc pluribus deducit *Harveus* (*Exerc. 62. p. 270.*) & primordium vegetale, substantiam nempe quandam corpoream vitam habentem potentia ovum vocat. Imò vermes, ex quibus animalia, ova ab Aristotele dici (p. 271.) demonstrat. Primus con-



conceptus, pergit (*Exercit. 69. p. 296.*) quoniam naturam atque conditionem ovi obtinet, convenit ei definitio Ovi ab *Aristotele* tradita (*l. 1. hist. anim. c. 5. & l. 2. de gener. anim. c. 1.*) cujus ex parte animal gignitur; reliquum cibum ei, quod gignitur, est. Repetit hanc sententiam (*Exerc. 63. p. 277.*) paulò ante (*p. 275. & 276.*) Nos in observationum harum vestibulo (*verba allegavimus § precedente*) cuncta animalia quodammodo ex ovo nasci affirmavimus. Quippe quo modo ordine ac ratione pullus ex ovo fabricatur & producitur; eodem pariter ex conceptu præexistente proveniunt. Una scilicet atque eadem est utrobique generationis species; & utriusque exordium, ovum dicitur, vel saltem analogia quædam tale habetur. Nempe ovum est conceptus foris expositus, non autem uterus expositus prout malè quidam, quos refutat *Nic. Stenonis* (*Epist. de Anat. Raja p. 61.*) unde pullus procreatur; conceptus est ovum intus manens, donec fœtus debitam in eo perfectionem acquisiverit. Cætera verò conveniunt, sunt enim primordia vegetabilia & animalia in potentia. Ratum itaque, *subjicit* hoc esto: Quod in spontè nascentibus primordium; in plantis semen; & in oviparis ovum dicitur; in viviparorum generatione primus conceptus est.

## §. 26.

In eandem ferè sententiam *celebris Anatomicus Dn. D. Nicol. Stenonis* (*c. l. p. 62.*): omnis uterus dum fœtum gerit ovum gestat, quod licet ovo exposito hac in parte cedat, quod ante formatum fœtum, omnia quæ fœtui formando augendoque necessaria possideat, sed eo sensim crescente nova à matre accipiat incrementa, in eo tamen simile est, quod nullum cum matris vasis habeat commercium, utut contrarium hæctenus à plerisque creditum.

## §. 27.

Analogiam igitur inter fœtum conceptum & ovum admittit *Aristoteles*. *Harvens* colliquamentum aut ovum representat, aut in oviforme quid transire astringit, fœtumque in utero conclusum ovum pronunciat *Steno*, quod verò ex ovo propriè dicto, prout alias *ωότενα*, homo generetur, de iis altum apud omnes silentium.

## §. 28.

Pro candore suo *Kerckringius* quidem *Fallopium* allegat, qui ante ipsum hæc animadvertisse videtur. Sed vesiculas has tantum vocat, non ova, nec ex his hominis ortum deducit. Verba *Fallopium* (*l. 3. obs. Anat. c. 13. f. 173. b.*) leguntur. Omnes Anatomici, inquit, uno ore asserunt in testibus foeminarum semen fieri, & quod femine referti reperiantur: quod ergo nunquam videre potui, quamvis non levem operam, ut hoc cognoscerem, adhibuerim. Vidi quidem in ipsis quasdam veluti vesicas (*ova Kerckringiana*) aqua vel humore aqueo, aliàs verò limpido turgentes. Sed nunquam semen vidi, nisi in vasis ipsis spermaticis vel delatoriis vocatis.

## §. 29.

Post hunc *Thomas Warthonus* (*Adenogr. c. 33. p. 202.* quem locum cur non animadverterit *Kerckringius*, cum primis cum, ut postea dicetur, hoc ipsum caput citet allegetq; miramur) *Vir oculatissimus* clarius has vesiculas descripsit. Substantia testium foeminarum, inquit, vesiculas quasdam spermate limpido plenas in se continet, qua ratione magis accedunt ad vesiculas feminales, quam ad testiculos viriles.

## §. 30.

Tàm conjugatæ autem, quam Virgines, (*pergit Kerckringius noster c. l. p. 3.*) hæc ova sæpissimè excernunt, insensibiliter quidem, quia non advertunt, nec quicquam de iis suspicantur: Sed quod mihi ex relatione quarundam constat, sentiunt, dum reflectunt. Ita Gallinæ, ut è *Puteano* (*c. l. p. 391.*) quædam subjungam, matres & tamen virgines; innuptæ & tamen puerperæ. In aliis avibus idem deprehendit *Harveus* (*Exerc. 5. p. 18. & 19.*) Ita Linariam alimus duos annos cavæ inclusam, cantillantem, quod rarum est inter foemellas, quæ singulis annis tria ova peperit. Cum excreta sunt, & laxa, rotunditatem suam servant, & si manu tractentur ac diducantur, membrana manum sequitur.

## §. 31.

Pellicula vel pelliculis extrinsecus circumdantur, quæ postquam in Uterum prolapsa sunt, brevi tempore extenduntur, & in amnion chorionque commutantur. Atque ideò dubitabam (*subjicit*) pelliculane an pelliculis circumdaretur ovum humanum, quod geminas inde efformari intelligam, & tamen geminas esse obtenuitatem non videam. (*p. 2.*) Duas esse pelliculas, quamvis ob earum tenuitatem, sensus non dicitur, tamen cum membranaceis duobus involucris postea foetus involvatur, duplici pellicula ovum vestiti utique concludendum videtur.

## §. 32.

Ovorum istorum excretio potissimum instante purgatione menstrua, aut aliàs stimulante libidine accidit. (*Kerckring. p. 31.*) Quod ad primum distingvendum putamus inter ova quæ à viduis & virginibus, & quæ à conjugatis excernuntur. De illis verum erit sine dubio pronunciatum illud, Zephyria namque sunt, inde dum Lunare tributum Natura exigit, hæc etiam viis lubricis & apertis commodè egerere conatur. Ita sæpius quod grumos sanguinis cum dolore Natura expurgat menstruatæ conquerruntur, quos grumos si exactius examinare non fastidiret verecundi sexus pudor, nullum dubium est; quin cruore larvata offenderemus ova. De Conjugatis autem aliter sentire ratio suadet, de quæ ovis eorum proliferis (de subventaneis namque sermo nobis non est). Hæc etiam maturitatem suam & facultatem prolificam adeptæ ubi fuerint, omni quidem tempore menstruum si excipias, in uterum commodè stimulante libidine, quod ad secundum commentamur, descendere possunt, commodatissimum tamen tempus soluto tributo Lunari existere experientia docuit, quod mole sua Natura liberata avidius masculi hauriat genituram, & reliqua sua munia feliciter exequatur. Ita post florem, talis cruor menstruus, fructuum præsentiam ordo Naturæ promittit, & ad votum procedit imprægnatio & conceptio.

## §. 33. Con-

## §. 33.

Conceptio præfata sequenti contingit modo. Semen virile per tubas cœcas Fallopianas circumductum pervenit ad testes, & ibi cum ovo, eodem modo, ac in cœteris oviparis, mira quidem, & hætenus non explicata, sed vera tamen ratione conjungitur; (contagium saltem admittunt *Harveus Exerc. 6. p. 21. Deusing. Microcosm. Genes. p. 1. s. 2. §. 63. & in vindic. foet. uter. genit. s. 4. p. 72.*) atque ita fecundatum per vas ejaculatorium transit ad uterum. Pluribus hæc vias descripsit laudatus *Warthonus (c. l. p. 210.)* quas nos olim publicæ disquisitioni subjecimus probavimusque; (*Discurs. Med. Phys. de Gemell. & part. numeros. c. 2. §. 7.*)

## §. 34.

Inexplicabiles aliàs nodos solvit hæc hypothesis. Fœminis semen denegarunt ex accuratissimis Philosophis & Medicis præcipui. Vide quos allegavit *Excell. Tillingius (Exerc. anat. de Tub. Uter. s. 1. §. 10. p. 30. seq.)* Pro affirmativa dudum militavimus (*c. l. §. 3. & 4.*) Jam verò res clara est, ἀποψία id demonstrante. Hac via testibus fœminiùs sua restituitur excellentia & nobilitas. Quot quæso modos excogitarunt viri acutissimi? ut seminum conjunctionem, accuratam mixturem, debitam condensationem, membranarum, ne diffuerent aut utero excederent, necessariam elaborationem explicarent. Non si sequeris tanta non opus erit contentione. Exploditur jure meritoque sanguis menstruus, quem pro principio & nutrimento fœtus agnovit antiquitas. Sibi ipsi hoc modo restitutus fœtus non aliena, sed propria vivit quadra. Quomodo gemelli nascantur? cur partus numerosior? cur monstra lucem videant? melius juxta hanc demonstratur. Partus demum delineatio & conformatio accuratiùs, jucundiùsque docetur.

## §. 35.

Pathologi & hic invenient, quod eorum illustret sancita. Variorum muliebrium symptomatum origo rectiùs jam invenietur. Virgines maturæ viro, viduæque juniores, variis morbis tenentur crucianturque. Originem vis? Ovum est. Ova coitu non tantum

tantum perfici, sed etiam à putredine præservari. *Harvei* prostat experientia. Psittacum ægotantem & tandem convulsionibus abortis mortuum dissecut, & invenit ovum ferè perfectum in utero. sed ob defectum maris corruptum, (*Exerc. 5. p. 18.*) Idem fatum obtigit *Avi Caslovare*, quam dum aperuit itidem ovum imperfectum & corruptum in superiori uteri parte delituit. (*p. 19.*) Ut adeò verum sit *Aristotelicum*: Aves morbo laborare & interire, nisi pariant. In veneri a fuetis & libidinosis ova pariter corrumpi nemo negabit. Cum autem rei optimæ pessima sit corruptio humor ille veneno naturam finitimam induit, quod de semine retento olim pronunciavit *Galenus* (*l. 6. de loc. aff. c. 3.*) & *Domin. Leon. Lunensis* (*lib. art. med. c. 4.*) Suffocationes inde uterinæ, Chloroses, Pica, Febris aphrodisiaca, Gonorrhœa, & quæ non alia Symptomata?

## §. 36.

Hydrops uteri, Mola aquosa sequiorem exercet sexum. Hos affectus non distingvi docuit *Roderic. à Castro* (*l. 3. de morb. mul. c. 7. p. 393.*) quam accuratè accuratiores judicent Evolve si placet *Kerckringium* (*Spicileg. obs. Anat. 10 p. 28.*) Varia exempla vide sis apud *chenki-um* (*l. 4. obs. med. p. 620.*) (*Gregor Horstium* (*l. 2. Epist. med. f. 7.*) *Sennert.* (*l. 4. Med. Pract. part. 1. f. 2. c. 11. p. 66. seq.*) Uteri Hydropis singularem speciem primus secundum *Casp. Hoffmannum* (*l. 3. inst. Med. c. 7 f. 3.*) consignavit *Aëtius* (*Tetrabibl. 4. Serm. 4 c. 79.*) Quum menses, inquit, longo tempore fuerint suppressi, & imprægnatio impedita, sæpè humoris copia in uterum confluit, & aliquando corpuscula quædam vesicæ fellis similia in ipso generantur, in quibus humor colligitur. Et paulò post. Ubi violenter excernuntur, ruptis aliquando parvis illis corpusculis, quæ vesicis similia diximus, viscosa quædam & aquosa erumpunt. E recentioribus notabile Exemplum, recitat *Tulpius* (*l. 3. obs. med. c. 32 p. 247.*) Adde *Valeriola observationes* (*l. 1. obs. med. 9. p. 96. & seq.*) Hæc verò silentio non involvenda, quæ sequitur à *Dodoneo* (*obs. med. 49*) consignata. Aquæ in utero collectionem vidimus in vidua quâdam, quæ defuncto marito, cum se gravidam relictam existimaret, novem mensibus adimpletis, super venientibus

D

partus

partus doloribus, non nisi aquosos humores enixa est, à quibus liberata, tacta haud aliter ubera repleta, quam si foetum peperisset. Foetui non rarò junguntur tales molæ (*Zacut. l. 2. Prax. med. admir. obs. 89. Hildan. Cent. 2. obs. Chir. 53. p. 127. & obs. 56. de propria uxore p. 128.*) Aliquando etiam Gemellis (*Mœbius fund. Med. Phys. c. 20. p. 578.*) Ovis a nemidiis & fatuis hoc malum suam non rarò debere originem hariolari cuivis erit facillimum. Quamvis etenim, ut ex iis fiat animal sint inepta, & idcirco ovorum nomine indigna, vis tamen aliqua vegetans illis non omninò deneganda veniet, cum primis si in locum proprium, uterum, deferantur, ibidemque agant radices.

## §. 37.

Accidit aliquando ut Polypis aut molis carnosis inclusa deprehendantur foetus rudimenta. De mola gravida historiam naravimus alibi (*Diss. de Gemell. & part. numeros. c. 1. §. 5.*) Infantem mola, quam in Belgio *Suygers* appellant, circumdatam observavit & depinxit *sæpius laudatus Kerckringius* (*Spicileg. obs. Anat. 95. p. 184.*) Posset & hic facilius, quam ante, ratio dari. Molarum videlicet carnearum generationi favere pellicularum in tali ovo conformationem carneam suspicamur. Quæ in uterum ubi transit ovum, luxuriare ob nimias uteri humiditates, spongiosa namque massa ut plurimum existit, incipit, suaque mole tenellum foetus corpusculum comprimit, & ne ad justam perveniat staturam, remoratur. Quod si verò infœcundum tale ovum carneæ istæ pelliculæ varias assumunt luxuriando figuras, molasque carneas ita constituunt variis excrescendis admirandas.

## §. 38.

Sterilitatis pariter in mulieribus scrutinium juxta hanc assertionem forsan non infeliciter cedet. Quæ duo facti à Natura (*Galen. l. 14. d. U. P. c. 10.*) & ex mollibus vesiculis conflati (*Riolan. Enchir. Anat. Pathol. l. 2. c. 3.*) testes muliebres, ut ovorum generationi faveret hæc structura, quod si carnosiores sint & compactiores, aut pingvedine nimia comprimantur, sufflaminabitur hoc negotium. Viarum per quas semen masculinum (ut supra dixerimus §. 33.) sursum fertur, ovaque in uterum descendere solent, obstructio, sacro

facro huic operi multam iniiciet remoram, Ovorum lymphatica fatuitas, uteriqve luxurians humiditas, & fœcunditatem, ac fœcundorum ovorum in utero moram & radicationem prohibet. Si carnosioribus pelliculis cingantur, nec seminis masculi mistura celebrari, aut secundum Harveum contagium per quandam quasi irradiationem iisdem communicari poterit. Putrescunt igitur aut in testibus, aut in uterum delata in molas degenerant carnosas, aut insensibili abortu egeruntur, corrumpunturqve.

## §. 39.

Quid verò, *inquies*, humor ille in testiculis stagnans, quem in uterum descendere non sine titillationis sensu in ipso coitu & sentiunt mulieres, semenq; verum esse tota credidit antiquitas? Quæ huc spectant alibi (*de Gemell. c. 2. §. 4.*) retulimus. Consulantur etiam *Riolanus* (*l. 2. Anthrop. c. 34.*) *Besterus* (*delineat. fabr. human. mul. tab. 1. l. 40.*) qui humorem illum spectatoribus & demonstrarunt, & descripserunt lectoribus, verumq; semen agnoscunt. Recipimus ex parte Virorum Clarissimorum thesin. Potuit namqve contingere, ut inter dissecandum vulnerata ova liquoris affatim funde-  
rent, ut etiam sectionem impediret ejus copia, quod quidem *Guinterius* testatur. In eo verò iis assentimur minimè, quando humorem in coitu ejaculatum pro vero habent semine. Humor potius veniet vocandus, quàm semen. Quocircà non omnes eundem emittunt, sed petulciores (*Harveus Exerc. 68. p. 294.*) & salaciores, qui & plurimas sine ejusmodi effusione, (& nonnullas quoque citra voluptatem aliquam) concepisse advertit (*Exerc. 65. p. 281.*) Observavit prætereà *Victor Cardelinus* (*l. de orig. fœt.*) majore quidem cum voluptate, qui talem ejiciant (etiam ad virium resolutionem secundum *Harveum Exerc. 68. p. 294.*) coire, multas tamen visas fuisse, quæ de solita fœcunditate plurimum remiserint. Lymphaticus igitur erit humor partes membranofas uteri mulcens & humectans. Movit id *Deusingium* (*l. 1. Instit. c. 8. p. 119.*) ut duplicem humorem feminalem fœminis inesse statueret: Alterum aqvosiorem, qui per vasculum deferens delatus partes uteri laxat, & alimenti vicem ex parte fœtui præstat; corpulentio-  
rem

rem (ovum nempe) qui ad conceptum constituendum concurrat. Addimus hunc humorem ne ova, se invicem attingendo, concre-  
scant, impedire. Piscium ova hoc evidenter, omnium autem evi-  
dentissimè Ranarum sperma probat.

## §. 40.

An etiam extra uterum fieri conceptio possit? præfatum dis-  
luet assertum. Secundum naturam nunquam contiget in ventri-  
culo, in testinis, aut alia corporis cavitate. *Damus illustri Bartholino*  
(*de insol. part. viis. c. II. p. 93. & 94. Cent. 5. obs. anatom. hist. 98. & Cent. 3.*  
*Epist. 8 p. 34.*) quamvis ei repugnat *Sinibaldus* (*l. 4. Geneanthrop. tr. 1<sup>o</sup>*  
*c. 4.*) effatumq; aliquantisper mitigandum sit, ut suo loco (*Dissert.*  
*de ovo BRYLORUM*) docebimus, uterum præter calorem foventem,  
& locum aptum ad generationem nihil conferre, sicut nec ovi testa  
ad pulli conformationem, adeoq; omnes partes corporis habere  
in se generationis principium & locum, & alium (*ib. p. 35.*) quem-  
cunq; in corpore locum capace & calore tepentem ad foetus  
conformationem aptum esse posse, quamquam non ad exclusionem,  
interim per quas vias è testiculis ad illa loca ova protrudantur?  
non immerito nos tenet sollicitos, cum nec sensus nec ratio easdem  
dicant. Quod si verò præternaturalis uteri adsit conformatio,  
qua uterus & intestinum rectum in unum coirent, quod *CLmus Ma-*  
*roldus* (*Ephemerid. Curios. Germ. Ann. 1. obs. 109. p. 250.*) observavit, aut  
alii insoliti ductus (prout in ductu biliario, procreatico, *Recepta-*  
*culo Pecqueti* varios lusus & aberrationes Naturæ offendimus)  
è testiculis aut utero ad ventriculum, intestina &c. ferantur, nulli  
ambigimus, quin ova in illorum civitates delata ad tempus in il-  
lis hæerere, seq; in foetus explicare possint. Diximus ad tempus, se-  
cundo namque aut tertio mense ut plurimum tanquam abortus eji-  
ciuntur, aut in putrilaginem solvuntur. De conceptione Tubaria  
*Vid. Elsholtz.* Foetum in Tubis conceptum rupta sede in abdominis  
cavitatem prolabi astruit *Tillingius* (*c. l. f. 2. §. 20. p. 107.*) qui deinde  
vinculis suis ita adalligatur intestinis tenuibus peritonæo, ut quasi  
in abdomine pendulus fiat, quale quid foetui *Mussipontano* conti-  
gisse legimus.



## §. 41.

Quid verò dicemus de Homunculo chymico aut potiùs Paracelsico secreta ratione in vitro vel ampulla Chymica fabricato? Prodidit nempè *Paracelsus* (*part. 1. l. 1. d. Nat. rer. p. m. 883. part. 2. l. d. Imag. p. 308. & l. 3. de vit. long. c. 4.*) sine patre & matre artis beneficio homunculum generari, si sperma maris & foeminae phiolæ inditum fimo æqvino cooperiatur, qui foetus postmodum sanguine menstruo usqve dum perfectus nutriendus. *Amato Lusitano* eandem placuisse sententiam alii produnt. Vocat secretissimum secretum & mag-nale Dei hoc experimentum *Paracelsus* (*l. 1. de gener. rer. nat.*) A tali homunculo omnem scientiam universamq; Naturam & ejus mytheria, præsertim verò lapidis Philosophici confectio-nem discere licebit, addunt alii. (*Vid. Autor Non Ent. Chym. p. 16. Rolfinck l. 6. Chym. in Art. form. red. c. 6. p. 426.*) E recentioribus huic placido subscribit *D. I. L. Hannemannus* (*Prodr. Lex. Med. p. 585.*) Nihil autem magis mirabile, *infit*, quam illa homunculi alicujus in vitro Chymico fabricatio Chymica hancq; possibilem multæ traditæ historiæ, & experientia rerum magistra optima. Mihi aliquando, *pergit*, fide dignus Theologus se talem homunculum chemica operatione fabricatum vidisse retulit & constantissimè asseruit. Novi & alios fide dignos, qui & talem homunculum Chemicum spectasse, manu palpassè, constanter affirmarunt. Nostra thesis multum lucis huic asserto fundere videtur. Ut Paradoxo fidem concilient ad pullitiem Ægyptiorum (*de qua Bellonius l. 2. observ. 32.*) aut *Danicam* (*ap. Bartholin. cent. 6. obs. 11.*) provocant. Ovum igitur humanum Phiolæ inclusum feliciter hujus productioni favebit, quam semen liquidum. *Pergit Hannemannus* (*c. l. p. 546.*) Quid obstat, quod non æqvè aliquis homunculus Vulcano Chymico è semine destillari queat. Et hoc cuilibet possibile, qui igni habenas contrahere & remittere ipsumqve Vulcanum incarcerare & liberare potens, tum laboriosissimus Archæus universalis in semine suas operationes concurrentibus causis perficit, ac primò fermentabit, & tres in eo bullas, tria principalia viscera referentes, excitabit, sic tandem paulatim & successu temporis Idea ideans in

homunculum ideabit, & compositum, homunculi formam tam Virilem quam muliebrem exhibens, provenit, summa cum admiratione spectantium: Siq; in vitro chymico hic embryo humano sanguine nutriatur, in justam magnitudinem hominis excrefcet. Nec solum id possibile in humano spermate, sed & ovino, canino, bovino, & in horum brutorum seminibus experimentum fiat, quod in spermate humano prohibeo; hoc enim ob presentiam animæ spiritualis sanctum est. *Hæc ille,*

## §. 14.

Verum Artis sphaeram transcendunt prius memorata miracula. Longè alia ratio pullitiei, effectu ipso sæpius comprobata. Eam imitari in hominis representatione non licet, cum *Rolfinckia* (c.l.) respondemus. Homo namq; (α.) est ex illis animalibus, quæ semen aut ova non exponunt, sed in matrice usq; ad tætus perfectionem fovent, & servant. Ab ovis proinde quæ secundum naturam exponuntur, ad ova humana & brutorum velle concludere, est à baculo ad angulum argumentari. Pullities ergò nihil ad rem. Non dicam (β.) vitri & uteri constitutionem toto cælo inter se distare. In vitri capacitate, dicant quæso, quomodo foetus radicesaget, à quo externæ ejus partes irrigabuntur. Vellem (γ.) regimen Vulcani demonstrarent, per tot menses calori nostro ita proportionatum, ut neq; in excessu neq; defectu peccaret? Ridicula verò est (δ.) embryonis chymici in utero vitreo beneficio sanguinis humani nutritio. Siccine extravenatus cruor in grumos & putredinem abibit, aut à calore Vulcani exsiccabitur? Quomodo verò hauriet cruorem embryo, per umbilicum forsàn? sed ejus vasa in placenta radicantur, neq; hiant, ut hirudinum instar, cruorem sugere possint. Ergonè per os; Neq; id commodè. Membranis namq; includitur foetus, & humoribus quasi innatat, nec nisi grandior factus nutrimentum per os appetit. Et si hoc modo nutritio celebrari posset, quod tamen ad Calendas Græcas eveniet (ε.) Tartarus in sanguine latens (utitur hoc Achille contra Infusoriam ipse *Hannemannus* c.l., in præfat. p. 21.) tenellum foetum corrumpet & Pestun-

peffundabit. Adeò contra Naturam agit & ratiocinatur, qui talia jactat experimenta. Diceres de eo: *ὄν πολλήεις*, ovum conglutinas. Et sanè si Majoristica aut Clysmatica, quam ubiq; flagellat *Hannemannus* tam cariosis fulciretur fundamentis, dudum eandem ovis fatuis abjectiorem pronunciaffet. Ut adeò causa nulla subfit, cur de *Arte nostra optime meritum Rolfinckium* præ cæteris negandi libidine vexari scribit, dicamus potius *Dn. D. Hannemannum* hic rem plane impossibilem Lectori obtrudere. Quæ de Spectris Chymicis allegari solent, alibi (*l. 2. de mir. mort. Tit. 11. § 1.3. de Plant. monstr. Exerc. 8.*) discutimus. Interim si *Anatomia universi* & *Lexicon utriusq; medicinae practicum* propositis dubiis satisfacient, lubentissimè in *viri Clarissimi* descendemus sententiam.

## §. 42.

Restat demum, ut, quo ordine & tempore ova foetus rudimenta intra se concipiant, paucis dicamus. Fiet autem commodissimè abortuum & aliarum observationum historias referendo, easque proposito nostro applicando. Sic namq; veterum & Kerckringianarum observationum harmonia percellet aures, animumque obletabit nostrum. Notandum est (*inquit Borellus Cent. 3. obs. med. 42. p. 229.*) quod in germine pulli parumper incubati, tota forma pulli apparet, si sedulo aspiciatur, imò animata & sensu prædita, ferro enim calido admoto recedere & moveri videtur. Idem in ovo humano contingere, quamvis ob tenuitatem vasa obtutum fugiant, non est cur dubitemus.

## §. 43.

De foetu quatuor dierum ita *Kerckringius* (*c. 1. c. 2. p. 4.*) Fœmina quædam tertio, aut quarto à menstrua purgatione die subito extingvitur. Ego ad dissectionem ejus, ut de causa mortis inquirerem, magis admissus quam vocatus, inter secandum reperio in utero molem rotundam, magnitudine ea, quæ est Cerasi acidi majoris. Rogo virum, an postquam fliterat purgatio uxorem cognoverit: illo annuente rem meam ago, & rogo, ut domum auferre mecum liceat globulum illum in utero repertum; corpus uxoris non ideò minus sepultura mandandum. Itaque statim foetum

foetum tantillum Anatomix cultro subjicio, ac inventio jam tum sedulam, ac nunquam otiosam Naturam spatio illo exiguo trium aut quatuor dierum formam aliquam in rudimentum hominis effinxisse, in quo caput clarè à corporis mole distinctum, in capite, quasi per nebulam, annotata organorum puncta conspiceres, corporis autem reliqui rudis adhuc indigestaq; erat moles.

## §. 45.

Genituram sex dierum vidit *Hippocrates* (l. de natur. pueri §. 3. Op. p. m. 26.) Talis autem erat: Ut si quis ovo crudo externam undiq; testam auferat, in quo interiore membrana contentus humor pelluceat, ad hunc verò modum se habebat liquor ille, prætereaq; ruber erat rotundus. Conspiciebantur autem fibræ albæ & tenues in membrana cum sanie crassa & rubra contentæ, & ipsa membrana exteriori parte cruore ad instar sigillatorum suffusa erat. In cuius medio tenue quiddam extabat, quod umbilicus esse videbatur, & per illum primum respirasse, ex eoq; protendebatur membrana tota genitura complectens.

## §. 46.

Ego ejusmodi rejectum (scribit *Felix Platerus* de orig. part. quest. 1. p. m. 343.) globuli rotundi & albi instar, magnitudine à vellanæ, in quadam, quæ quotannis ferè abortiebat, vidi, atq; ex animo tenui cui innatabat, exemi, & cum ab invicem deducerem, tres bullas, quarum inferior, jecoris rudimentum exprimens, pallidior, non tamen rubra erat, observavi, quatuorq; portiones pro brachiis & pedibus formandis, &, quod spectatu jucundum, duo puncta nigra minutissima oculis dicata notavi. Quæ uti & in aliis, sic & in generosa quadam, quæ toto ferè biennio, quod mirum & aliàs inauditum, singulis mensibus abortiebat. sæpeq; ad me ejusmodi abortum, ut quid esset indicarem, trans mittebat, similiter se habere deprehendi.

## §. 47.

In foetu octo vel decem dierum nullam membrorum speciem neq; carnis vidit *Marsilius Cognatus* (l. 4. obs. var. c. 14) sed erat fasciculus ex alba membrana, in qua liquor albus inerat. instar liquoris

qvoris albi, qvem ovum continet: in cuius medio carneum quid ex tenui filo quodam pendeat. quod nobis videbatur esse foetus informe rudimentum ex umbilico pendens. In Abortus decem dierum globo, aut potius mole ejus ovali, quod *Pinæus* annotat, (*l. 2. opusc. Physiolog. & Anat. c. 3. p. 93.*) placenta apparebat, quæ posticæ parti Chorii exterioris primæ secundarum membranarum inhærebat foetus formicæ mediocri aut minimo grano frumenti crassitie & longitudine respondebat (talem magnitudine foetum, quadragesimo die deprehendi *Aristoteles l. 7. hist. anim. c. 3. Fernelius l. 7. Physiolog. c. 10. Lalamantius Schol. ad l. Hipp. de etate p. 53* docent, quos refutat *Pinæus c. 1. p. 91.*) sudoribus innatabat mediantibus vasis umbilicalibus adeò exilibus, ut delineationes tantùm rubræ viderentur, quibus, chorioqve appensus erat, aquarum seu sudorum selibræ pondus ferè amnios continebat. Paremi historiam anno 1580. viderat *citatus Autor.*

## §. 48.

Foetum quindecim dierum depingit *Kerckringius (c. l. c. 3. p. 5.)* ut & trium hebdomadarum (*c. 4 p. 6.*) dierum viginti quinque; *Pinæus (c. l. c. 3. p. 98.)* Unius mensis iterum *Kerckring. (c. 5. p. 7.)* Sex hebdomadarum *idem (c. 6. p. 9.)* & *Pinæus (c. l. p. 107.)* quinquaginta dierum *Harveus (Exerc. 69. p. 303.)* Qui rectè proinde concludit conceptum muliebrem primis gestationis mensibus ab ovo vix quicquam discrepare (*c. l.*) Observavit *idem* in abortibus, crebrò factis dissectionibus, secundo mense ovum hoc ad Phasiani vel gallinacei ovi magnitudinem accedere, tertio anserinum, quarto struthionis superare (*c. l. p. 296. 297.*) De ossium formatione *Coiter (l. de foet. hum. & infant. oss.)* *Eyssonius (l. de oss. infant.)* *Pinæus (c. l. p. 99.)* omnium autem optimè *Kerckringius (Osteogen. foet.)*

## §. 49.

Ut suprâ dicta de molarum aquosarum generatione illustremus historiam molæ talis è *Pinæo (c. l. p. 95.)* recensebimus. Quædam mulier duobus annis post primam imprægnationem mense Martio falsum germen, quod vocant, ejecit, quod nihil aliud erat, quam imperfecta & manca graviditas seu imprægnatio à semine

imbecilliori aut frigidiori, aut utroq; intemperatis. Erant autem ejusmodi duæ quidem membranæ, una tanquam Chorion externa, altera ut amnios ad invicem junctæ, adhærescebant ubiq; ut solent. Nam materia & forma placentæ Chorion postico apposita videbatur; in interiori verò tunica ferè selibra humoris aquei continebatur sine foetu vasisq; umbilicalibus.

## §. 50.

Fœtum grandiore in utero ovalem figuram tanquam commodissimam eligere notum est. Animalia omnia (*inquit Harvey Exerc. de partu p. 331.*) dum quiescunt & dormiunt, membra sua ut plurimum adducunt & complicant, figuramque ovalem aut conglobatam quærent. Ita pariter Embryones, qui ætatem suam maxime somno transigunt, membra sua positione ea, qua plasmanur, (tanquam naturalissima, ac maxime indolenti, quietiq; aptissima) componunt. Ideoq; infans in utero ut plurimum reperitur, adductis ad abdomen genibus, flexis retrorsum cruribus, pedibus decussatis, manibusque sursum ad caput sublatis, quarum alteram circa tempora vel auriculas, alteram ad genam detinet; ubi maculæ albæ, tanquam confricationis vestigia, in cute cernuntur: Spina in orbem flectitur; caput ad genua incurvato collo, propendet. Tali membrorum situ, qualem in somno per quietem quærimus, capite supernè facieque ut plurimum ad matris spinam versa, embryo locatur.

## §. 51.

Relinquo nunc ista cum *Puteano (c. l. p. 435.)* & hominem intueor, quem corpore toto & membris omnibus aut ovum esse aut ex ovo fatearis. Etenim nascendo quisque & ubiq; ὅτιον sive ὑπεργῶον faciet. Et primum quidem præstantissima sensuum instrumenta, velut se ingerunt oculi, lingua, aures. Etenim vides velut ovo, loqueris ovo, audis ovo. Scrutare oculum, hoc est quod dico; os & linguam, deprehendes similitudinem; aurem denique, pari ambitu descriptum capreolum orbiculumque invenies. Et quid mirum sic partes esse? ipsum caput est, & à vertice velut planiore fastigio in mentum ovi imagine acuitur. Sic quod Natura egit,

egit, sequi ars solet. Pictor ut vultum hominis sive lineis sive coloribus constituat, ab ovo orditur (*Vid. Fluddus tr. 2. technic. macrocosm. hist. p. 5. l. 2. c. 5. p. 327.*) Etiam in homine ex partes ova dicuntur sine quibus nemo vir fuit. (*vid. supr. §. 12. p. 4.*) Ad manus trans eo. Has à carpo ad extremitates digitorum circumscribe, ovum habebis. Sic & ungyes sunt, & alia ferè (ne orationem extendam) membra. Totum verò corpus si ansatum statuas, ovi linea includet; quemadmodum plenum propemodum circulum extensa brachia dare solent. Jam & cranium hominis manifestum velut ovum est. Inde Calvum ovo comparavimus supra, (*§. 18. p. 10.*) Tantum.

## LECTORI SUO AUTHOR

S.

**H**Abes Lector Amice ovum, in ovo Hominem, in Homine omnia. Peperit id non famæ aucupium, aut temperarium novandi studium, sed animi candor, & in veritatem affectus. Quanto fastidio legantur nova à quibusdam, & protinus, tanquam talia, quæ centum ovis lustrari non possent, damnentur, eò quod Veterum autoritatem quasi de ponte deicere intendant, nemini non notum; quantoperè verò tales à vero, imò ipsa Antiquitate aberrant unicuique patet. Non dicam ipsos Veteres nunquam eò temeritatis & audaciæ pervenisse, ut scriptis proderent, se omnes sapientiæ rivis exhaustisse, nihilquæ posteris, quod scrutarentur, reliquissent, hoc saltim monere liceat, multa Veterum scripta excutienti occurrere, quæ inventis novis multum lucis affundunt. Exempli loco sit ovum humanum, quod sanè, ut ut novum sit & videatur omnibus, tantùm abest, ut id Veterum placita destruant, ut potiùs confirmet illustrentque. Demonstrare hoc ipsum præsentis opusculo conati sumus, an rectè ubivis calculum posuerimus, Tuo relinqvimus iudicio. Quod si non ubique ex voto ad scopum collimavimus, cogites humanum id reputari, adeoquæ non *ab ovis ad mala*, hoc est, ad calumnias & scommata viro bono indigna, transeas.

Zoïlos, quibus σκιμαλίζειν (*Vid. Alex. ab Alex. l. 4. Gen. diæ. c. 26 f. m. 245. a.*) placet, non curabimus, meliora tamen monentibus lubenter auscultabimur. Miraberis, quod Græcos allegantes, semper versiones posuerimus, id verò ob defectum typorum Græcorum in nostra typographia factum reputes. In Erratis typographicis corrigendis pariter humanum atque facilem te præbebis, cum primis ubi pro §. 42. 43. 44. §. 41. 42. 43. impressum oculis usarpabis. Quæ huic opusculo desunt in *Discursu nostro de Gemellis & partu numerosiore ad hanc hypothesein reformato* legentur, quem unâ cum libro secundo de miraculis mortuorum futuris nundinis, Deo favente, Tibi sistere decrevimus. Interea præsentia.

*Si placent, Tibi gratulor, mihiqve :*

*Tibi, quod fueris scopum secutus.*

*Mihi, quod fuerim scopum secutus.*

*Si verò Tibi displicent : Amicus*

*Eris non minus : id rogabo solum,*

*Ut cum candidiore mente fiat :*

*Cordatis etenim dolus repugnat.*

(*Moscherosch. Cent. 1. Epigr. 99. p. 28.*) Interim illud Poëtæ (*Ouvven. l. 1. Epigr. 73. p. m. 97.*) cogita :

*Multa renascentur, quæ jam cecidère, cadentq,*

*Dogmata quæ summo nunc in honore vigent.*

*Quæ nova sunt hodieq, placent, non usq, placebunt,*

*Cur ita ? quæ nova sunt, non nova semper erunt.*

Et Vale !

